BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Thou, Jacques Auguste de

Iac. Avg. Thvani Historiarvm sui temporis Pars ...

Bd.: 2,2

Parisiis (1606)

H.un. 600 a-2,2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10034066-7

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10034068

10034066

10034068

10034066

Bayerische
Staatsbibliothek
München

10034068

CIↃ IↃ LXVII Noercarmius, qui vrbe potitus quoſdam ex Miniſtris ac nonnullos ex eorum doctrinæ addictis ſupremo ſupplicio affecit. interea Brederodius fœderatorum princeps, ne quam pacis ineundæ rationem non experiretur, ad Parmenſem ſociorum nomine ſcribit, ac veniam in aulam veniendi petit, admixtis de ſecuritate nuper data querellis. id vero Parmenſis enixe prohibet, cum eorum aduentus occaſione Non. April. ſuperiore anno omneis in Belgio turbas excitatas diceret, impoſitoque Bruxellis præſidio interdicit, ne nobiles in vrbem intromittantur. itaque Brederodius iterum Antuerpia ad Parmenſem dat literas VI Eid. Febr., & minime ſupplicem libellum priore anno oblatum, ſed pernicioſa cardinalis Granuellani & Hiſpanienſium de Inquiſitione introducenda, hoc eſt, intolerabili liberis ceruicibus iugo imponendo conſilia, præterea ſerum nimis ac minus æquum ad libellum datum reſponſum, cauſſam motibus nuper excitatis præbuiſſe affirmat. ſe ac ſocios nullam componendarum rerum æquam condicionem recuſare. ob id ad ipſam cum bona eius venia venire voluiſſe; quod cum ipſis denegatum ſit, libellum, quem vt in bonam partem accipiat, rogant, mittere ſtatuiſſe. eo repetabant ſuperiore anno actorum memoriam; VI Eid. proximo ex communi ſententia motus compoſitos, & iuxta præſcriptam formulam & ipſius mandatum a præfectis res in prouinciis ordinatas. quod ſicubi non æque feliciter ſucceſſerit, id nonnullis minus quam par eſſet, publicæ tranquillitati ſtudentibus, non ſibi imputandum. poſtea vero prohibitum concionum locis publice conceſſis

10034068

CIↃ IↃ LXVII lationem, ſacramentorum adminiſtrationem, quæ magnas in ſacra & ciuili re perturbationes excitat, nuptiarum item nouo ritu celebrationem, quæ in hereditatibus ac ſucceſſionibus non mediocreis difficultates gignant, ſimul permiſſam contendunt. quibus rebus regiam maieſtatem & magiſtratus auctoritatem labefactari & omnino conuelli. quod cum omnibus in confeſſo ſit, mirari eorum impudentiam ſatis non poſſe, qui fidem publicam appellant, pro libelli Non. April. oblati ſecuritate a ſe datam, non etiam pro religionis libertate, de qua nunquam cogitauerit. his querimonias in eos addit, quaſi concitandi populi contra regem, ſacrum ordinem, ac rem denique publicam auctores fuerint; quibus malis ante omnia occurrendum cenſet, monetque, vt domum quiſque abeant, atque ita ſe in poſterum gerant, vt dicta factaque ſua regi in Belgium venienti approbare poſſint. ni moniti faciant, ſe remedium tempeſtiuum adhibituram. hoc minaci reſponſo iritati potius, quam placati fœderati omiſſa omni alia ratione ad vim vertuntur. & Brederodius quidem circa Vianam, Io. Toloſius circa Antuerpiam, alij per Flandriam militem conſcribunt. Viana oppidum eſt in Batauis ad Lecam fluuium, qui Rheni brachium facit, prope Vltraiectum ſitum, quod non ſolum iure ad ſe pertinere contendebat Brederodius, nam minime id controuertebatur, ſed etiam eius dominium omni obſequio ac fide liberum in eo ſibi arrogabat, vt pote ab Hollandiæ comitibus genus ducens, quorum ſeu ſucceſſione ſeu beneficio Vianam principatus titulo maiores ſuos poſſediſſe aiebat.

10034068

CIↃ IↃ LXVII tus vſum omnem auerteret, etiam de re publica varie ſentiebant. nam pars Parmenſi eſſe parendum, & Megenſem in vrbem admittendum cenſebant; adhuc veniæ locum eſſe; nec expectandum, dum intercluſo commercio, quo ſolo tanta vrbs alatur, & inciſis neruis ad miſeras preces minime exaudiendi confugiant. alij libertatem, quam legibus nequeant, armis tuendam cenſebant: nam ea amiſſa nihil ſupereſſe; proinde vitam opes & omnia ſua in id impendenda, vt illam a maioribus acceptam retineant, nec committendum eſſe, vt propter vitam viuendi cauſſas perdant. ita diuerſis ſententiis rapti plebis animi, vt prope ad arma ventum ſit. quod vbi cognouit Megenſis, clam cum iis, qui ſecum ſentiebant, agit, magniſque promiſſis onerat; cum iiſque conuenit, vt nocte inſequenti ad eam vrbis partem, quæ eorum cuſtodiæ commiſſa erat, cum dato ſigno impetum faceret, ipſi quaſi propugnaturi accurrerent, patefactiſque portis ac coniunctis viribus ipſum admitterent. quod & exitus approbauit; admiſſuſque Megenſis, qui ſtatim in ſeditioſos animaduertit, pleriſque vltimo ſupplicio affectis, aliis vrbe pulſis. Bombergus motum præſentiens mature ſe periculo eripuit, accepto etiam ſtipendio; & cum diſcederet, conceſſo non ſolum ſuis, ſed & oppidanis tempore, quo in tutum euadere poſſent. quo facto Megenſis ſucceſſui inſiſtendum ratus in Hollandiam, vbi confœderati res nouas præcipue moliebantur, ducit, inopinatoque aduentu ſuo eorum cepta magna ex parte diſturbat. interea Toloſius cum delecta nobilitate a Petro Ahekio Mildeburgenſi accitus Vliſſingam in Va-

10034068

CIↃ IↃ LXVII quandam domum incluſiſſet, ibiq. vltimam vim ſuſtinere decreuiſſet, incendio excitato cum domo crematus eſt. quo caſu conſternati Antuerpienſes ſtatim arma corripiunt, licet non bene inter ſe concordes, quippe cum alteri haut ſatis alteris fiderent. mox eo miſſus a Parmenſi Arauſienſis, & Hocſtratanus, qui primo male accepti ſunt, vnuſq. adeo præfracta audacia repertus eſt, vt gladium ſtrictum in Arauſienſis oculos ferre auſus ſit. verum ille, qui plebis moderandæ artem calleret, patientia eorum impetum vicit; & Catholicos cum Martinianis, nam ijs melius inter ſe conueniebat, in plateam publicam iuxta monetaleis ædeis conuenire iubet. ij numero CCCC equites erant. diuerſa parte Itali, Hiſpani ac Luſitani inſtitores, veriti ne tumultuantium impetus in ſe ac ſuam perniciem verteretur, & ipſi cum armis in vico iuxta æſtuarium conglobantur. contra hos Caluiniani ſtabant, numero impares, ſed armis & tormentis diſpoſitis inſtructiores, quib. ſe in ponte Murano muniuerant. biduum vltro citroq. commeando inſumptum; tandemq. Arauſienſis prudentia & interuentu Ioannis Stralij conſulis admodum cunctis gratioſi, placati ciues, cum quiſq. mutuam lanienam horreſceret, accepta vtrinq. ſecuritate in ſuas ædeis dilabuntur. nec multo poſt, cum paſſim res proſpere Parmenſi ſuccederent, nec vlla ſpes aliunde auxilij eſſet, Bruxellas oratores mittunt, qui cum ipſo in has leges tranſigunt, vt Proteſtantium conciones omittantur, Catholicorum concionatores reſtituantur, templa inſtaurentur, priora edicta ſeruentur, nemo ob præterita morte aut facultatib. multetur, donec aliter

10034068

CIƆ IƆ LXVII ille, hoc ſolabitur, quod amicis in tempore, imo patriæ, conſilio ac manu adeſſe voluerim; quod cum occulta Dei voluntate & cœcis ad pericula animis minus valuerim: quod vnum supereſt, tibi denuntio Egmondane, fore, vt ſi animum obfirmare perſeueraueris, non ſolum te, ſed tua cauſſa omneis harum regionum proceres in manifeſtum exitium præcipites; iamque animo prouideo, te pontem venturis Belgij hoſtibus ſtraturum, per quem vbi in has regiones pedem intulerint, loco tropæi caput tuum a trunco abſciſſum ſtatuent. quibus dictis, ſiue præſaga mente ſiue vt proprio periculo Egmondanum a ſententia dimoueret, poſt amplexus non ſine lacrimis vtrinque datos diſceſſere. & Arauſienſis paullo poſt petita a Parmenſi venia Antuerpia Bredam petit, & inde in Germaniam, quaſi ad res domeſticas ordinandas profectus eſt; plerique ab ipſo clam moniti mox ſecuti ſunt. maior pars nobilitatis cum Egmondano, in cuius meritis fiduciam habebant, manſit, & ſe illius exemplo a fœderatorum cauſſa ſeparauit. dum hæc agerentur, Aldenardæ omnino conciones interdictæ ſunt, & Brugis vt Proteſtanteis a conueniendo deterrerent ad locum concionis mittunt, qui miniſtrum iuberent craſtina die ſe coram magiſtratu ſiſtere, vt iuxta pacta regi fidem publico ſacramento cuncti obligaret; ni facerent, ſcirent concionibus ſibi interdictum. is vero cum minime comparere tutum exiſtimaret, fuga ſibi conſuluit. paullo poſt Proteſtantes alium ſibi eccleſiaſtem conciliant, qui in porta comprehenſus, & quod a meridie publice concionari contra magiſtratus, & Franconatus, is eſt magiſtratus vrba-

10034068

CIƆ IƆ LXVII hactenus fecerant, ex eo conſternatione territi de priſtino ardore ac pertinacia plurimum remiſere; & cum nulla ſpes auxilij ſuperaret, tandem IX Kalen. April. ſub veſperam regis arbitrio deditionem fecere. Noercarmius vrbem ingreſſus mox portas obſerari iubet, & Michaelem Herlium primarium ciuem, turbarum, vti iactabatur, incitatorem cum filio in carcerem coniectum ſecuri percuſſit, Guidonem Breſſeum, & Peregrinum Gangrenum concionatores in furcam tolli iuſſit; complures alij ſupremo ſupplicio affecti, & vt quidam ſcripſere diuerſis vicibus CC amplius capite plexi ſunt. ſecundum hæc Noercarmius Amandi fano prius occupato Cameraceſium epiſcopi Cameracenſis oppidum ducit, quod Proteſtantibus huc vſque patuerat, & inde continuis excurſionibus populares vexati fuerant. verum oppidani Valencianarum deditione intellecta locum deſeruere, qui mox militi in prædam ceſſit. captus Philippus concionator, & manu amputata patibulo affixus eſt. fama ſparſa, quaſi abolita concionum libertate, & antiquæ religionis cultu vbique reſtituto, rex interuentu Parmenſis placaretur, & conſilium de exercitu in Belgium immittendo omitteret, proceres certatim in id incumbunt, vt regis ea in re deſiderio ſatisfacerent. itaque vbique fere interdictæ Proteſtantium conciones, templa inſtaurata, & imagines maiore, quam deiectæ fuerant, in Flandria ferijs Paſchalibus, animorum ardore reſtitutæ, templa nuper a Proteſtantibus exſtructa Hipris, Baleoli, Armenteriæ magno concurſu diruta; Cominij item, vbi Araſchotani iuſſu ex eorum materia ac trabibus

10034068

CIϽ IϽ LXVII labentibus, Gerardo Groſbekio præſuli ac principi ſuo deditionem fecere, & leges a victore accepere, vt templa ſuis ſumptibus inſtaurarent, belli impenſas ſarcirent, Catholicam R. religionem deinceps profiterentur, omni alia reiecta, & præſidium reciperent, nec multo poſt extra Ruremondam in Geldria egreſſi IϽ circiter Proteſtantes ad concionem, cum in vrbem redire vellent, a magiſtratu excluduntur. ne Colonia quidem Agrippinæ ab his motibus immunis fuit, vbi miniſter quidam Caluinianus cum haut longe ab vrbe concionaretur, magnam hominum multitudinem ad ſe pellexit, vt non leuis metus ciuibus ſit iniectus, ne ex ea occaſione ſeditioſi aliquid in publicæ quietis perniciem molirentur. verum prudentia Conſtantini Lishirkij conſulis, qui edicto prohibuit, ne qui ad conciones vrbe exirent cum concionatorem auditoribus amplius ad eum non conuenientibus ſolitudinis tæderet, is metus diſcuſſus fuit. Gubernatrix vero poſtquam cum Antuerpianus tranſegit, mox eo Carolum Mansfeldium Petri Erneſti F. præmittit, qui vrbem hoſtili ſpecie cum XVI Gallorum ſignis ingreſſus eſt. eum biduo poſt ſubſecuta eſt Parmenſis cum IϽ equitibus; mox decretæ ſupplicationes magna equitum velleris aurei pompa celebratæ. dein plerique capti, nonnulli etiam, qui turbis cauſſam dediſſe iactabantur, in furcam acti. templa inſtaurata, vetera placita de religione renouata, pueri a Proteſtantibus baptizati rurſus ſacro lauacro abluti; templa etiam Proteſtantium magnifice, quantum per temporis anguſtias licuerat, exſtructa deiiciuntur, & arma diligenti

per

10034068

CIƆ IƆ LXVII tatem ac rebellionem nulla pœnitentia aut ſatiſfactione expiabilem eſſe cenſuit, niſi poſt delicti publicam declarationem ſe vitam ac fortunas principi ſuo, vt de ijs arbitrio ſuo ſtatueret, ſine vlla condicione permitterent. quod cum præfractæ contumaciæ homines minime facturos eſſe appareat, regem officio ſuo, quod pro dignitate ſibi a Deo commiſſa ſuſtinet, defuturum, niſi exacta ſeueritate, & cuius exemplo alij ſapere diſcant, perduelleis coerceat, in idque totos ingenij neruos intendat, & omne imperij robur pro tam glorioſa & in Deum ad æternam ſui inter homines memoriam expeditione impendat. hoc conſilium, quia Granuellani cardinalis, qui itidem olim intempeſtiuæ in Germanos ſeueritatis exercendæ ſiue auctor ſiue aſtipulator fuerat, alioqui Belgis ob priuatas ſimultates infeſti auctoritate firmabatur, Philippus natura ſua iniurias haut facile animo deponens, & Hiſpanorum, qui bellum in Belgio gerendi occaſionem aucupabantur, ambitioni ſeruiens, Albani ſententiæ ſubſcripſit, aſſentientibus Feriaduce, qui mox ſententiam mutauit, Spinoſa, & S. Inquiſitionis præſide, qui nouos populi motus coerceri, non ſolum ad officium ſuum pertinere, ſed in auctores ac conſcios ſeuera vltione animaduerti exiſtimationis ſuæ intereſſe dicebant: ad idque non ſolum ab inueteratis Belgici nominis hoſtibus inſtigabatur, ſed etiam literis Parmenſis in dies confirmabatur, auctoritatem regiam paullatim recuperari, & ſeditioſos aut ſenſim dilabi, aut vi ac metu ad officium redire affirmantis; quo maturius occaſioni inſiſtendum ratus, illuſtri in perduelleis edito

10034068

CIↃ IↃ LXVII nauigijs ingredi infra dignitatem, & parum tutum, cum magna ac regia claſſe, & longum & periculoſum erat: quippe cum per Zelandiam aut Hollandiam appellendum eſſet, quæ prouinciæ maxime omnium ob religionem turbatæ, & ob Arauſienſis illarum præſidis fidem ſuſpectæ erant. altera per mare mediterraneum, & inde per Italiam ac Germaniam vti longa ac damnoſa, ſic & principum Proteſtantium ratione, quorum per ditiones cum numeroſo exercitu tranſeundum erat, periculoſa ſummopere videbatur. vltima reſtabat per Italiam, Sabaudiam, Sebuſianos, Sequanos ac Lotaringiam, quæ & ipſa non carebat ſuis incommoditatibus; tamen tutior prioribus & compendioſior viſa eſt. cum vero iam inclinata tempeſtate periti rerum metuerent, ne per aſpera montium in Sabaudia impedimenta parum commode traduci poſſent, & equites ac pedites etiam cum niuium inclementia ad perniciem colluctarentur, a rege comeatus petitus, vt per Prouinciam ac Lugdunenſem agrum ditionis noſtræ & melioris cæli regiones exercitum traducere in Sequanos liceret, nec Genuam vſque copiæ portarentur; ſed ad Forum Iulium in Prouincia exponerentur. verum vrbi rex ſe excuſauit, & per has prouincias Proteſtantibus frequenteis & quibus non poterat non magnopere ſuſpectus eſſe Hiſpanorum aduentus, neq. tutum copiarum tranſitum, neq. vero ſe ipſi idonee cauere poſſe hoc rerum ſtatu oſtendit. tandem decretum fuit per Sabaudiam iter habere; & quia Philippus eam comeatus inopia laborare intelligebat, Ioannem Acugnam Velam ad Emanuelem Philibertum

10034066

CIↃ IↃ LXVII triremib. ad exercitum portandum appulerat, venit cum XV vexillis tironum, qui in locum veteranorum Neapoli & per Siciliam, Sardiniam & in Inſubribus diſtribuerentur. alia duo mox Tarraconem conuenerunt. tandem VI Eid. Maias Albanus ſoluit, & cum ſub id ipſum tempus febri accedente arthritidis familiari morbo correptus eſſet, præmiſſa Genuam cetera claſſe, ipſe cum IIII triremibus Niceæ ſubſiſtere coactus eſt; vbi collectis viribus, ſeptimo, poſtquam ex Hiſpania diſceſſerat, die Genuam appulit, & ex XVII vexillis tironum, quæ ſecum adduxerat, IIII delegit, quæ veteranis ad Belgium deſtinatis admiſcuit. inde Alexandriam terreſtri itinere petit, ibiq. Gabrielem Cueuam Albuquercij ducem principatus Mediolanenſis præſidem obuium habuit, & Bernardinum Mendozam ad Pontificem ablegat, vt conſilia Baionæ cum regina ante biennium ipſius inſtigatu inita reſumeret, & quid facto opus eſſet, cum eo conſuleret; ad fanum Ambroſij Subalpinæ prouinciæ oppidum ad radices Alpium, nec longe a Ceniſio monte copioſam annonam comportandam curauerat, Ibarra, eoque copias omnes conuenire iuſſerat, vt ibi vniuerſus exercitus recenſeretur. in eo erant XIX ſigna legionis Neapolitanæ, ductore Alfonſo Vlloa, X ſigna legionis Siculæ, ductore Iuliano Romero, X item ſigna Inſubris legionis, ductore Sanctio Lodognio, X denique ſigna legionis Sardoæ cum IIII tironum ſignis ei additis, ductore Conſaluo Bracamontio; quæ ſimul omnes XLIX vexilla, & VIII CIↃ IↃ CC XXC peditum Hiſpanorum efficiebant. ſingulis ſignis in fronte admixti XV maiores ſcloppetarij,

10034066

CIↃ IↃ LXVII exercitui pereundum eſſet. diſcedente per Allobroges Hiſpano exercitu metus iniectus vicinis Heluetijs & Geneuenſibus præcipue, ne quid in itinere Albanus contra eos moliretur. quam occaſionem ſibi minime prætermittendam ratus dux Sabaudiæ tentatis ante per ſuos Bernatum animis antiquas controuerſias renouauit, & de præfecturis aliquot maioribus ſuis ademptis cum ijs tranſegit. hæc autem rei origo fuit, ſicuti ex Philippo Comineo noſtro didicimus. Carolus pugnax, vltimus ex Francica familia Burgundionum dux, cum nullum deſiderijs modum faceret & ingenti animo ambitioſe longinqua etiam captaret, Iolandam Ludouici XI ſororem & Philiberti Sabaudi viduam etiam in poteſtatem redegerat, & ditionibus eius ad explendam animi inexhauſtam vlterius ſemper progrediendi libidinem abutebatur. dumque in eo eſt, accidit Iacobi Sabaudi comitis Romontij temeritate, vt Heluetij ex leui cauſſa, ſed qualis cum gente paupertate nobili intercedere poterat, grauiſſime irritarentur, carro ſcilicet cuiuſdam Heluetij ouillis pellibus onuſto iniurioſe a Romontianis abacto; qua de re cum crebras per legatos Heluetiorum querimonias negligere videretur Romontius, homines libertati aſſueti & iniuriæ impatientes armis rem agunt, & Vatenſem præfecturam atque alias Geneuæ circumpoſitas inuadunt, & ſui iuris faciunt. inde occaſionem, quam alioqui magno mercatus eſſet, Burgundio arripit Heluetijs arma inferendi, a qua voluntate nullis condicionibus ab Heluetica gente propoſitis abduci potuit, neq. Ludouici regis precibus, qui negotio per

10034068

CIↃ IↃ LXVII dens, dum per Allobroges & Sebuſianos iter haberet, auctor fuerat reginæ, vt Heluetiorum auxiliareis copias conduceret, & delectum per regnum haberet, vt eodem tempore in Gallia & Belgio ſectarij opprimerentur. nec id ſegniter factum. nam & VI Heluetiorum CIↃ conſcripta, & delectus per Campaniam & Picardiam habiti: datum præterea negotium præfectis, vt cum equitum turmis aliquot & peditum cohortibus ſpecie limitis tuendi in armis per omnem illum tractum quaſi ad latera Albani incederent. quæ in ſuam perniciem fieri Proteſtantes apud nos interpretati, eo maturius arma ſumpſere, & regem atque eius aulam Moncelli in Meldis, vbi diuerterat, pæne oppreſſere. acceptis in Sequanis IIII equitum cataphractorum turmis, quæ CCCC efficiebant, quas Philippus conſcribi iuſſerat, ducibus Vergio Comitatus præſide, Capralio, Monmartino, & Claroyallio ex primaria nobilitate, C item equitibus ſcloppetariis, duodecimo poſt die Fontenaium in Lotaringiæ limite Albanus venit; atque inde duodecimis caſtris Theodonisvillam petit Lucemburgenſis principatus oppidum, vbi obuium habuit Carolum Emerium Barlemontium & Noercarmium a Parmenſi ad eum ſalutandum miſſos, quibus ille mandatorum regiorum exemplum Gubernatricis nomine petentibus exhibuit. iis armorum ſumma præfectura per Belgium vniuerſum illi attribuebatur: cum vero pacata omnia in Belgio eſſe intelligeret, vt ſumptibus parceret, equitatum Germanicum nuper conſcriptum, qui eum in limite operiebatur, dimiſit, ſeruata tantum Alberici Lodronij legione, quæ Theo-

10034068

CIↃ IↃ LXVII commiſiſſe, quarum in tempore illam certiorem faceret. tum roganti Parmenſi, quid illud eſſet, Albanus quaſi per riſum ſuperbe reſpondit, inpræſentiarum minime animo ſuccurrere, ſed temporis progreſſu id ſe in memoriam reuocaturum, & ei quicquid eſſet poſtea declaraturum. quod cum maxime Parmenſis animum pupugiſſet, tamen iniuriam eam prudenter diſſimulauit, occaſionem opperiens, dum petita a rege venia e prouincia, quam ſumma fide & æquitate adminiſtrauerat, honeſte diſcedendi, diſparis ſucceſſoris comparatione, partim calumnias de ſe ad regem delatas, quaſi conniuentia ſua turbas aluiſſet, per abſentiam ſuam reuinceret, partim ſui deſiderium maius in Belgio relinqueret. vbi venit Albanus Bruxellas, diſtributis circa ſe per Brabantiam copiis, ſcripto edito ad libellum ſuperiore anno oblatum regis nomine reſpondet, reuocatiſque Caroli V ac regis de religione & Inquiſitione placitis, eorum moderandorum, ordinum item Belgij conuocandorum ſpem omnem præcidit: tum datis ad ſingularum prouinciarum ordines fiduciariis literis, quid ſibi a rege mandatum ſit, indicat, hortaturque, regi ſe morigeros præbeant, arma deponant, maiorum ſacra colant: typis etiam ad maiorem fidem auctoritatis ſibi a rege creditæ faciendam diploma regium excudi iubet. inter arcana Albano a rege commiſſa præcipuum illud fuit, vt ſuſpectos proceres in poteſtatem redigeret; cumque ei Ecmundanus Tilmonem vſque obuiam proceſſiſſet, Albanus in congreſſu, conuerſo ad ſuos ſermone, ita tamen vt Ecmondanus exaudire poſſet, dixiſſe ferebatur, En ma-

10034068

CIↃ IↃ LXVII ad eam emanaret. Gandenſes etiam in illa fortuna antiquos ſpiritus reſumentes, cum ſe præſidio grauari inique ferrent, cum Ecmundano Flandriæ præſide egêrant, vt cauſſæ ſuæ patrocinium apud Albanum ſuſciperet. nec ille abnuerat. itaque legatos e ſuo ordine ad Albanum cum Ecmundano Bruxellas proficiſcente mittunt, qui nullum aliud ab Albano reſponſum tulerunt, quam ſe curaturum quod e re ſui regis eſſet. tandem re compoſita cum Ecmundanum & Hornanum Bruxellas exciuiſſet tanquam de grauiſſimis negotiis conſultaturus, eos in conſilium vocat a meridie v̄ Eid. v̄iibr., eodemque tempore Ioannem Caſembrodium Bakerſelam, qui & ipſe Bruxellis erat, obſeruari iubet per Andream Salazarium Panhormitanæ arcis in Sicilia præfectum, & Ioannem Spuchium arcis Publinenſis itidem præfectum. mittit & interim comitem Lodronium & Sancium Lodognium Antuerpiam, qui Antonium Straëlium virum opibus & gratia inter ciueis ſuos florentem comprehenderent; quod illi fecerunt, inter Antuerpiam & Mecliniam iter facientem nacti, & ſtatim eius bona Antuerpiæ deſcribi & ipſius ædeis obſignari curauerunt. quæ dum agerentur, Albanus de arce Antuerpiæ conſtruenda, cuius & delineationem proponebat, diſſertatione inſtituta conſilium in veſperam vſque extrahit, dum de Straëlio & Caſembrodio captis ſibi conſtaret; quos vbi comprehenſos reſciuit, ſtatim conſilium dimittit, dato negotio Sanctio Auilæ ſtipatorum ſuorum ductori, vt Ecmundanum, Hier. Salinæ Portus Herculis in Etruria præfecto, vt Hornanum captiuum ſiſterent. ij

10034068

CIↃ IↃ LXVII captos proceres ſecuta eſt, Albanus ab Ecmundano arcis Gandenſis teſſeram popoſcit, vt ea repræſentata Trullerus, qui ipſius nomine arci præerat, eam in poteſtatem ſuam, aut eius, quem vellet, traderet. tradita arx & Alfonſo Vlloæ, qui iam in vrbe cum ſua legione erat, commiſſa, moxque Ecmundanus & Hornanus in eam ſub cuſtodia miſſi ſunt. ceteri nobiles, pars Viluordam tranſlati, pars Bruxellis aſſeruati ſunt. cum caperentur illi, aderat P. Erneſtus Mansfeldius, qui Carolo filio, quod cum fœderatis initio capita contuliſſet, metuens, præſenti innuit, vt ſe ſubduceret, neque gratiæ, quam ex meritis ac fideli obſequio apud regem collegerat, neque adeo Albani implacabili ſeueritate viri amicitiæ confideret; atque is patris monitis obſecutus propere fuga ſibi conſuluit, & apud nos honorifice acceptus eſt; vbi cum diu manſiſſet, vna & altera poſt primæ obitum vxore in Gallia ducta rurſus in Belgium abiit, & bellis poſtremis indignam regibus noſtris & nomini Gallico gratiam rependit. interea miſſis paſſim, qui in ſeditionis auctores inquirerent, ingens terror per vniuerſum Belgium ſpargitur, multique cum ſuam innocentiam non ſatis tutum perfugium eſſe cernerent, aduerſus impotentem Hiſpanorum ſæuitiam ſibi metuentes, pars in Britanniam & maritimas ciuitates, pars in Germaniam & Galliam proximam diffugere. ſecundum hæc, habendorum in Belgio comitiorum ſpes, quæ prouincialibus aliquantula fulſerat, prorſus euanuit: in eorumque vicem inſtitutum VIIvirale conſilium, cui ipſe Albanus præſidis titulo præeſſet, & nominati initio ex

10034068

CIↃ IↃ LXVII gulos excitatis latis ac proiectis propugnaculis, quorum quatuor inuſitato etiam inter Hiſpanos faſtu ex ſui vnius nomine appellari voluit Albanus: nam primo Ducis, alteri Albæ, tertio Ferdinandi, quarto denique Toletani gentile nomen indidit, quinto de nomine artificis Paciotto nomen fecit. feſtinatis operis deproperatum opus Albani iuſſu, bis mille hominibus laborem continuantibus; in cuius rei ſumptus Antuerpienſes CCCC florenorum CIↃ contulere, quæ ex centeſimæ & decimæ erogatione imperata reſarcirentur. idque eo propenſius ab eis factum, quod vrbem præſidiario milite exoneratum iri ſperarent, cum tamen nullum ex ea re leuamentum ſenſerint. nam cum arcis cuſtodia primo cum idoneo præſidio attributa eſſet Gabrieli Serbellono Mediolanenſi ſpectatæ virtutis duci, cuius aliquoties a nobis ſupra facta mentio eſt, & poſtea Sanctio Auilæ olim gregario militi, ſed ex eo ad maximos honores euecto, nihilominus Albericus Lodronius cum aliquot Germanorum ſignis vrbi impoſitus eſt. iamque ad eam altitudinem perducta erat munitio, vt defendi poſſet, cum armamentarium Meclinienſe caſu vrbi illi fatali arſit. nam XX ante annis ictu fulminis tacta turre in eadem vrbe, in qua puluis tormentarius aſſeruabatur, plus IↃ homines, vt quidem ſcripſere, perierunt, partim ruina obruti, partim poſtea interclusſo ſpiritu ſuffocati, & fame, cum victus non ſuppeteret, inter ruinæ moles miſerabiliter enecti. certe Io. Sleidanus libro XVII eam cladem pluribus verbis perſequitur, & vltra ruinam, qua vrbem penitus deformatam dicit, arbores radici-

10034068

CIϽ IϽ LXVII initio conſtituerat, in Belgium honorifice ac ſecure veniret: verum eum domi retinuere, vti ſcripſit Bernardinus Mendoza, filij cuſtodia, quam mors ipſius nec non Eliſabethæ vxoris propere ſecuta eſt, & Maurorum in Baetica exitiales motus, qui Hiſpanias omneis nimium quam commouerunt, de quibus in ſequentibus ſingillatim dicemus. nunc e Belgio in Germaniam ac porrectas ad VIItrionem regiones deueniamus. Durabat adhuc bellum Suecis contra Danos ac Polonos Erici temeritate iritatos, cui componendo, quod quietem Germaniæ ſollicitare videretur, Maximilianus Cæſar prudentiſſimus princeps omne ſtudium ſuperioribus annis adhibuerat, neque hoc anno ceſſauit, menſe Martio conuentu Sundij indicto, delegato ad id Friderico Palatino VIIviro, & Pomeraniæ principibus. Henricus Ranzouius Holſatiæ vicarius a Friderico Daniæ rege venerat, qui herum ſuum Cæſarianorum delegatorum arbitrio ſe ſummittere paratum oſtenderet; ſed cum Suecus legatos ſe mittere non poſſe reſcripſiſſet, Ranzouius comeatu a delegatis petito in Daniam re infecta redijt. Ericus menſe inſequenti in Noruegia ad Aſloiam cum exercitu erupit, & arcem Aggerſanſenam irrito conatu oppugnauit. nam cum præfectus loci, vt obſeſſoribus incommodaret, Aſloiam oppidum incendiſſet, miſſis interim Hafnia a Dano copijs, Sueci repulſi ſunt, & ſoluta obſidione arx ſeruata eſt. inde Suecus, quaſi non ſatis eſſet hoſtem foris habere, etiam intus ſibi fecit aut inuenit. nam mox quaſi furore adactus præcipuos conſiliarios ex leui ſuſpicione in crimen vocatos Suantonem Sturam

10034068

[redacted]

CIↃ IↃ LXVII fere tempore inter Polonos & Moſcos ad Sitinum lacum pugnatum eſt XVI Kal. VIIIbr. Poloni Vitesbeska egreſſi Moſcos CCC circiter ceciderunt, captis CXX machinis & globorum ac pulueris magna multitudine, & opimis præterea ſpolijs. nec multo poſt prid. Eid. Xbr. Poloni præſidiarij pedites Vitesbeska item egreſſi iuxta Vieliſſam arcem cum Moſcis feliciter conflixere multis cæſis, alijs in fugam verſis, quorum pars Duina fluuio ſubmerſi ſunt; capti præterea ex primaria nobilitate Alexius Simiſcouius, & Bagdanus Reorius. dum paſſim vires geritur, controuerſia inter Daniæ regem & Holſatiæ duces agnatos de Sleuicenſi principatu per delegatos, qui Othoniæ in Fionia conuenerant, diſceptata eſt. Holſati beneficio quidem regum Daniæ maiores ſuos ditionem Sleuicenſem accepiſſe & tenuiſſe fatebantur, nec proinde iuramentum, de quo cum Chriſtiano III ante XX annos Coldingæ conuenerant, præſtare recuſabant; ſed beneficium liberum eſſe & hereditarium aiebant, nec militiæ obnoxium, cuius tam viri quam feminæ capaces eſſent: idque allatis in medium priorum regum inſtrumentis & communi iure Danico, cuius in Sleuicenſi principatu vſus eſſet, confirmabant. ita a Voldemaro rege Iuthiæ Auſtralis principatum anno Sal. CIↃ CCCXXVI, cum dominio vtili ac directo Gerardo Holſatiæ comiti, ipſiusque heredibus initio conceſſum eſſe, ſolo iure ſuperioris dominij & beneficij conferendi ſeruato. ſic Chriſtophorum regem biennio poſt inſulam Cimbricam Ioanni Holſatiæ comiti & ipſius heredibus tam maſculi quam feminei ſexus ab eo deſcen-

10034068

ↀ. Iↄ Iↄ LXVII ſuccedere in principatum potuiſſe, neque hodiernos principes legitimos eius heredes eſſe. his per aliquot dies agitatis tandem placuit, vt interuentu legatorum Auguſti Saxonis VIIviri, Vlrici Megalopolenſis, & Vilelmi Heſſi, res diſputaretur, & amice componeretur. itaque totum decennium continuata tractatio, quæ demum anno huius ſeculi XXC finem habuit. Vilelmi Heſſi mentio modo facta me admonet, vt de Philippo parente eius nouiſſima verba faciamus. is illuſtriſſima & antiquiſſima toto Imperio gente ortus, vt qui initia ſua ad Carolovingos noſtros referret, atque adeo ad profugos illos Caroli vltimi illius ſtirpis, qui Aureliani in carcere deceſſit, liberos, haut procul a caſtris parentis Vilelmi Cambum Palatinatus oppidum obſidentis anno huius ſeculi IIII natus, vitæ militaris inde omen tulit. poſtea ſciſſa ob religionis cauſſam Germania, Proteſtantium ſe & libertatis Germanicæ acerrimum vindicem præbuit, cum fœderi Smalcaldico ſubſcripſiſſet, & poſtea contra Carolum Cæſarem, aduerſa licet fortuna, tamen inuicto animo perſtitiſſet. ſed cum profligato Io. Friderico Saxone VIIviro a Mauritio genero perſuaſus cum Cæſare tranſegiſſet, vnius literulæ cauillatione aſtu Granuellani deluſus ac carceri mancipatus totum quinquennium victricia Cæſaris ſigna & aulam ſecutus eſt, donec deficiente a Cæſare Mauritio libertati cum Saxone reſtitutus eſt. ab eo tempore vitæ anxiæ & laborioſæ poſt tot exantlatos labores pertæſus ſe domi continuit, nulla præterea re memorabili geſta, niſi quod ante quinque annos ad poſtulata Condæi reginæ ſe nomine tuentis auxiliarem

CIↃ IↃ LXVII num Quintini captus in Belgio detineretur, odio potius æmuli, quam Amboſiæ Seniganæ fauore afflictam ipſius fortunam ſubleuauerant. nihilominus poſtea ſciſſa factionibus aula, atque adeo regno, Porcianus eius filius Proteſtantium doctrinam amplexus ad Momorantij & Coliniorum partes ſe applicuit, & Franciſco Momorantio, cum ante biennium in armis Cardinali Lotaringo occurrit, Lutetiæ præſto cum ſuis fuit. [iuſculo, quod illum emota mente ad furorem adegerit, vim ei inſidioſe allatam a F. Claudio Cluniaci antiſtite per San-Bartholomæum emiſſarium ſuum, vt ingratitudinem hominis tanto beneficio gentilibus ſuis obſtricti vlciſceretur, memorat auctor vitæ ipſius Claudij, cuius rei penes libri ſcriptorem, qui Dagonellus Vallius iuridicus Cluniaci præfectus fuiſſe perhibetur, fides eſto.] Idem annus & Michaelem Stifelium Eſelingenſem iam octogenarium, poſtquam in Saxonia & Boruſſia diu profeſſoris munere functus eſt, Ienæ in Thuringia abſtulit, cuius libri arithmetici reconditiore numerorum ſcientia referti in magno vti debent, pretio inter doctos habentur. in Italia Franciſcus Robortellus Vtinenſeis, qui magno cum ſtrepitu Bononiæ & Patauij, profeſſus, & varijs ſcriptis maiorem de ſe opinionem excitauit, quam impleuit, cum Carolo Sigonio, ſed impari certamine ſæpius & acerbius, quam inter literarum profeſſores decuit, digladiatus, in ijsque contentionibus, Germanorum, qui & ei mortuo honorifice parentarunt, ſemper præcipuo fauore adiutus, tandem vltimum diem XV Kal. April. clauſit, quinquageſimum annum haut multum ſuper-

10034068

CIↃ IↃ LXVII rat Confluentiæ Ioannes a Leia archiepiſcopus Treuirorum VIIvir, qui populos Auguſtæ Treuirorum & Confluentiæ mutationem religionis molienteis ſeuere admodum coercuit. in cuius locum poſt longas contentiones diſſidentibus Treuiris & ſacri collegij ſodalibus tandem electus eſt Confluentiæ VII Eid. April. Iacobus Hezius, cuius, etſi maiorum religioni additiſſimi, longe mitius ingenium ſui experti ſunt. Sed omnium maxime memorabile fuit bellum Gothanum, quod hoc anno in Germania imperij decreto geſtum ſimul ac confectum eſt; cuius origo hæc fuit. Gulielmus Grombachius collectis Albertinæ proſcriptionis reliquijs, cum poſt occiſum immani perfidia epiſcopum Virtzburgenſem, & Herbipolim ipſam pari audacia captam ac direptam, ſollicitata inſuper ad defectionem contra imperij leges nobilitate, quo res ſuas magis firmaret, & receptum ſibi ac ſocijs a Cæſare proſcriptis pararet, Ioannem Fridericum & Io. Gulielmum Saxones Ioannis Friderici olim VIIviri filios clam obteſtatur, vrget, increpat, nobilitatem reſpicerent, quæ epiſcoporum & aliorum tyrannide oppreſſa in ipſis tanquam vnicis patriæ libertatis vindicibus omnem ſpem reponat: quod ſi minus commiſeratione aliorum tangantur, ſaltem priuato periculo admoneantur. id enim agi, vt oppreſſa nobilitate ipſi omni auxilio deſtituti opprimantur. nam in ſpoliatione patris minime ſcelus diu ante cogitatum ſtetiſſe, ſed gradum ad maiora contra eos audenda factum; ſapiant tandem, nec patientia nimia nouam accerſant iniuriam; tantum velint; non enim defuturos, qui eorum au-

10034068

CIƆ IƆ LXVII gatos orat patruelem factionis ſeditioſæ ducem cum ſatellitio vniuerſo a ſe dimittat, ſibique ac ſuis hac in re conſulat, neu ſe turbidis hominis conſilijs immiſceat. cautum eſſe Saxonicæ domus fœdere, hoſteis publicos aut priuatos, aut ab imperio proſcriptos ne pars alterutra hoſpitio excipiat, aut patrocinio tueatur. eodem officio apud Ioannem Fridericum defuncti ſunt Fridericus Palatinus VIIvir, & Philippus Heſſus; & Palatinus quidem in Thuringiam venit, & inde Lipſiæ cum Ioanne Gulielmo Auguſtum VIIvirum conuenit, vt offenſionis cauſſas, ſi poſſet, præcideret, & vtrumque cum VIIviro patruele, ac rurſus vtroſque fratres generos ſuos inter ſe conciliaret. primis dein comitijs, quæ ſub Maximiliano Auguſtæ Vindelicorum celebrata ſunt, renouata eſt ſententia proſcriptionis, & ad receptatores atque auxiliatores porrecta; quæ mox poſt datum tubis ac tympanis ſignum more ſollemni publicatur, eiusque executio Auguſto Saxoni VIIviro demandatur. fuit & decretum, vt miſſa legatione iubeatur Ioannes Fridericus proſcriptos in manus Cæſaris tradere, aut vinctos, vbi ille velit, ſiſtere; ni pareat debita receptatoribus pœna afficiatur. nec multo poſt patuere inſidiæ a Grombachio, emendicato Ioannis Friderici, cuius ingenio abutebatur, nomine in Auguſtum VIIvirum ſtructæ, capto Ioanne Bemo haut procul a Dreſda & ſcelus inter tormenta confeſſo, Philippo Plaſſo item inſigni percuſſore ad id ſe a Grombachio conductum profitente. eodemque tempore alia teſtimonia ad Auguſtum afferuntur a Gunthero comite Schuartzeburgo & Chriſtophoro Zebicio ex

10034068

CIↃ IↃ LXVII quos illi Cæſar attribuerat, rem arcano & feſtinato conſilio aggreditur; & vt imprudenteis opprimeret, media & aſpera hieme copias præmittit, quæ ante vrbem Gotham prius a proſcriptis de clade in Pannonia accepta lætantibus,& ob id ſecuris conſpectæ ſunt, quam de conſilio Cæſaris quidquam animo tale concipere potuerint. id prid. Natalis Domini ſuperioris anni accidit. denunciatio ſtatim per fæcialem facta, qua ſubditi Io. Friderici a fide,quam ei tanquam legitimo domino debebant, ob læſæ maieſtatis Cæſareæ crimen ſoluebantur, & deſerto illo in Io. Gulielmi fratris verba iurare iubebantur. obſeſſa Gotha, neque tamen, quod adhuc pauciores numero copiæ aduenisſent, vndique cincta, comeatus & auxiliares ingreſſu haut omnino intercludi potuere. itaque ex vicinis locis aliquot milites, ſed fere imbelles, in oppidum compulſi, & ex pagorum circumpoſitorum præda in aliquot dies annona comportata. mox adueniente toto exercitu, cum aliquot dies ſine vllo operæ pretio elapſi eſſent, decimaquarta ab obſidione die Auguſtus VIIvir in caſtra venit, & iuxta belli leges diſpoſitis cum Io.Gulielmo patruele aciei forma ac circunductis propinquo interuallo vniuerſis copijs, deditionem fieri petit; qua negata, haut multorum dierum ſpatio mira arte ac feſtinatione diſtributis operis noctu diuque inſtans omnem vndique vrbem foſſis, aggeribus & caſtellis circumdat, vallo tam prope ad vrbem perducto, vt oppugnatoribus obſeſſiſque colloquendi facultas eſſet, nequicquam diſploſa interim ingenti machinarum procella, qua tamen minime operæ impediri potuerunt.

10034068

CIↃ IↃ LXVII que locis notata & correcta. ipſe vero, vt ex iiſdem commentariis cognitum eſt, & ſtipendia ducibus de ſuo decreuerat, & præmia ampliſſima victori militi, ex præda ac terris occupatis propoſuerat. inita & cum externis principibus occulta fœdera, ac præcipue cum Erico Sueciæ rege, cuius turbidum ingenium ad turbandam Germaniæ quietem coniuratis peropportunum viſum eſt. miſſæ & ad regem literæ, grauiſſimis aduerſus Cæſarem & imperij ordines querimoniis plenæ, quibus auxilia petebantur. facta poſtremo ſpes a Grombachio amicitiæ & opum Anglicarum ab Eliſabetha: & quanquam Io. Fridericus Agnetem Heſſi F. & Mauritij, qui patrem ipſius ſpoliauerat, viduam in matrimonio haberet, tamen perſuaſum ei tam facile vxorem repudiari poſſe, vt Eliſabetham ipſam duceret, quam ſtolide ſana ſoceri de euentu funeſto toties vaticinantis monita repudiauerat. in eam rem confictæ a coniuratis quaſi ab Eliſabetha literæ notis arcanis exaratæ, quibus illa mirifico eum ſola virtutis & paternæ & ſuæ fama cognitum amore deperire conteſtabatur, & familiare cum ipſo colloquium expetere. quibus rebus vt maior fides aſtrueretur, impudens iuxta & audax commentum Grombachium molitum affirmant; ſuppoſitam nimirum anno ſuperiore feminam e proſtibulo ad id ante inſtructam, quæ obſoleto habitu, vt lateret, Erfordiam venit; eodem mox Io. Fridericum vanis promiſſis a ſuis infatuatum veniſſe, & cum ea, quam Eliſabetham rebatur, quæ relicto regno ad eum impotenti amore perculſa ſimulato morbo ſumma celeritate aduolaſſet, ſic enim illa aiebat, vt con-

10034068

Thomas Randolfus ab Eliſabetha, vt de incurſionibus Scotorum ſeditioſorum conquereretur, & uam egregiam erga vicinum regnum voluntatem teſtaretur, miſſus, cui nemine in ſummum magiſtratum adhuc electo verba honorifica tantum data, certiore reſponſo in id tempus delato, quo Prorex creatus eſſet. poſtremo Proregis proxime occiſi fratres ex eadem matre Robertus & Gulielmus Duglaſſij auditi ſunt, petentes, vt ſui fratris indigna mors nullas ob inimicitias priuatas, ſed ob remp. illata ne inulta eſſet. ibi ſententijs variatum, cum alij rem ad comitia remittendam, alij diutius non expectandum cenſerent aduerſus eos, qui iam arma ſumpſerant, vt facilius, quod ſcelere patrarant, vi defenderent. tandem ex Atholij & Mortonij ſententia nihil ante Kalend. Maias, qui dies comitijs dictus erat, agi placuit. interea qui reginæ fauebant Hamiltonij, Argathelius & Bodius ad conſultandum Limnuchum venere. cum exitum conuentus non habuiſſet, Huntilæus, Atholius, Crafordius, Ogiluius, Humius, Setonius, Mætellanus ex eadem factione Edimburgum conuenerunt IIII Non. Mart. ſed nihil fere actum. tantum inter eos diſceptatum, quo iure Scoti Proregem creare poſſent, an diplomate reginæ captiuæ, an vniuerſalis procerum conuentûs auctoritate. cum inter eos non conueniret, re infecta ſolutum eſt concilium, & qui metuebant, ne captiua regina res pueri regis, cui Angli fauebant, ſtabilirentur, ad belli Anglici ſemina rurſus reuoluti, eoſdem, quos antea per limitem immittunt, qui nihil ſibi ad extremam cru-

CIↃ IↃ LXXI delitatem reliquum fecere: ipſam interea Eliſabetham conuicijs proſcindebant, proceres Scotorum calumniantes, quaſi Anglorum clientes, ac vulgo minabantur, ſi Anglica accerſerentur auxilia, ſe Gallorum & Hiſpanorum viribus vſuros, ad hoc incitati & confirmati Veraci e domeſticis regijs aduentu, qui e Gallia ſub id tempus Britannodunum appulit a Guiſianis miſſus, & ingentib. promiſſis nutantium animos erexit. inde ad Eid. Apr. Hamiltonij conuentus indicunt, Edimburgum mox tranſlatos, vt maior auctoritas ex loco illis accederet. oppidani ab eorum cauſſa alieni erant, vt qui regis cauſſæ fauerent, & Eliſabethæ offenſionem, in cuius regno negotiantur, vererentur; ſed Gulielmus Kirkadius arcis & vrbis præfectus & reginæ captiuæ partibus addictus hunc metum diſcutiebat. dum in eo ſunt, & fruſtra Iacobum Duglaſſium Mortonium Atholij interuentu ad ſuas partes perducere conantur, rumor ſubitus de aduentu Angli exercitûs Waruicum ductore Thoma Suſſexiæ comite conſilia eorum turbauit. nam Alexander Humius & Ioannes Maxuallius nuper e cuſtodia emiſſi ad ſua in limite tuenda inde proficiſcuntur. Carus vero & Scotus, qui archiepiſcopi fani Andreæ inſtigatu bello huic ad conſilia ſua, vti rebantur, accommodato cauſſam dederant, iam virib. impares & a vicinis derelicti trepide ad factionis ſuæ principes mittunt rogatum auxilia, aut ſi id grauarentur, Landeranum ſaltem propinquum oppidum accederent, vt inde bellum Anglis oſtentarent. cum id impetrari non poſſet, Hamiltonij legationem ad Suſſexiæ comitem mittendam curant, quæ inducias fieri peteret,

10034068

CIƆ IƆ LXXI

vt Scotorum voluntatem in ſe intelligeret, ex eius arbitrio proceres Proregem electuros affirmaret. interea Angli cum infeſto exercitu Teuiotiam ingreſſi Carorum & Scotorum, qui incurſionibus principium fecerant, villas ac poſſeſſiones incendio ac rapinis deformant, Humiam arcem capiunt, ac diripiunt, ſpe falſo loci domino, qui cum Suſſexium & Drurium equitem Anglum in occulto Norfolcianæ factioni fauere ſciret, ſecurior in rebus ſuis tuendis fuerat. parte alia Scrupus Anglus Annandiam ingreſſus Ionſtoni, qui & ipſe in Anglorum limitem excurrerat, agros populatur. Drurius vero acceptis a regia factione obſidibus cum CIƆ peditibus CCC equitibus aduerſus Hamiltonios ducit, qui Glaſcuæ arcem obſederant, decreto de ea diruenda facto, ne Matthæo Stuarto Leuini nuper ex Anglia reuerſo receptaculum ac belli ſedes eſſet. ſed dilapſis ad ſubitum Anglorum aduentum Hamiltonio, Argathelio, & Huntilæo fœderati Scoti trepide, ab obſidione diſcedunt. Angli vero Glaſcuam profecti agros Hamiltoniorum, & ſi qui in Proregis cædem conſenſerant, aut Anglos exules receptauerant, toto tractu Glottiano vaſtant ac diripiunt, neque alio præterea operæ pretio facto, Drurij præuaricatione, qui militi Anglo ob non ſoluta ſtipendia tumultuandi auctor fuiſſe creditus expeditionem irritam fecit. reuerſus interim ex Anglia Petcarnius retulit in concilio Eliſabetham primum conqueſtam, quod poſt quartum a Proregis morte menſem nullas ab ijs literas accepiſſet, eamque cunctationem in cauſſa fuiſſe, vt incerta hactenus fuerit, quid de eis ſperaret. interea

ſe regum Galliæ & Hiſpaniæ precibus ac Scotorum reginæ aſſiduis querellis fatigatam ei audientiam certis legibus promiſiſſe, quo fiat, vt conſilij eorum in creando Prorege participes fieri non poſſit, ne reginæ nondum auditæ præiudicium feciſſe videatur. interim rogare, vt ab armis & incurſionibus abſtineatur. hæc palam acta, ſed in occulto auribus procerum inſuſurratum, gratum fore Eliſabethæ, ſi Leuiniæ comes regis auus in eum magiſtratum aſſumeretur. itaque regij eum Interregem creant non auſi initio plenam poteſtatem ei attribuere, dum de Anglæ voluntate certius cognoſcerent, & imperium Interregi vſque ad IIII Eid. Vtil. prorogant. poſtea acceptis Eliſabethæ literis, quibus in eo munere neminem ſibi auo præferendam videri ſignificabat, Matthæum ex interrege Proregem conſentientibus votis pronunciant. is vero ſtatim ſacramento de more dicto edicit, vt omnes, qui arma ferre poſſent, IIII Non. Vtil. Limnuchi præſto eſſent, ad comitia ſeditioſorum, ſic Hamiltonios vocabat, impedienda; deinde ordinum conuentus in VI Eid. VIIbr. reiecit. ad diem Prorex Limnuchum cum V CIↃ armatorum profectus, audito Berchini a Gordonio Huntilæo aliquot mercenarios collocatos, qui & ciueis & obuios quoſque prætereunteis ſpoliarent, de conſilij ſententia ſtatim eo ducit, celeritate iſta ſe illos oppreſſurum ratus, vnaque factionis duces Crafordiæ comitem, Iacobum Ogiluium, & Iacobum Balfurium. igitur Patricium Lindeſium, Gulielmum Ruuenum, & Iacobum Haliburtonum Taoduni præfectum præmittit, qui ſublatis in equos peditibus, quan- CIↃ IↃ LXXI

10034068

10034068

10034068

mam Anglorum reginam inita agit,& quæ conſilia cum Hiſpanis agitentur, aperit. interea dantur a regina iudices XVII Kalend. Febr., quos Pares vocant, qui de Norfolcij cauſſa cognoſcant, Georgius Talbotus Sarisberienſis comes magnus Palatij magiſter, qui iudicio præeſſet, Bentij, Vorcediæ, Penbrucij, Hartfordiæ, Leceſtriæ comites ſtriæ, Suſſexiæ, Hungtingtoniæ, Waruici, Betfor-, Herefordiæ vicecomes, maris præfectus, magnus Camerarius, alij e nobilitate reguli numero XIIII; coram quibus ordine ſedentibus recitatur reginæ diploma, mox & libellus proponitur, quo nomina citatorum continebantur, pœna eremodicij in non comparenteis conſtituta. dein Norfolcius e carcere producitur, & eo præſente capita accuſationis in eum inſtitutæ palam leguntur. hæc autem erant. quod ignara regina de nuptijs cum Maria Scotorum regina contrahendis egiſſet, partim vt eam ad regnum Angliæ præcipitato ordine eueheret, partim vt ſceleri in Darlæi mariti morte patrato colorem quæreret, pœnasque ob id lege ab Henrico VI anno ſal. CIↃ CCCC XXVII ſancita conſtitutas incurriſſet. quod poteſtate ſibi a regina mandata in expeditione Eboracenſi abuſus mala fide in ea verſatus eſſet. quod ſeditioni in VIItrionalibus regni partib. ante triennium contra reginam excitatæ participaſſet. quod cum primum in carcerem coniectus fuit, per literas & nuncios admiſſæ culpæ veniam a regina ſuppliciter petita, pœnitentia facti ex animo duci ſe teſtatus, poſthac ſe de nuptijs Scotæ non cogitaturum recepiſſet, & tamen clam idem negotium per emiſſarios ſemper retractaſſet, & in eadem vo-

CIↃ IↃ LXXI

CIↃ IↃ LXXII

10034068

id maximam fidem faciat, quod cum fuga & amicorum ope ſe periculo ſubducere facile potuerit, tamen conſcientia fretus ſtatim in ius vocatus ſe iudicio ſtiterit. nihilominus hanc gratiam a R. M. & ab ipſis petere, ne ſibi præteritorum delictorum, & quorum ſe ex animo pœnitere iam ante profeſſus ſit, ratione periculum creetur; tantum ab alijs criminibus obiectis purgandi ſe facultas tribuatur. & cum ab apparitore regio increparetur, quaſi innocentiam de criminibus obiectis idonee conuictus ſuperbe & præfracta fronte allegaret, pudore ſeu conſcientia confeſſus ingenue coram iudicibus memoriam ſuam labilem agnouit, & ſe de reliquo iuris ac iudiciarij ordinis ignorantem profeſſus eſt; proinde orare proceres, qui iudices in ſua cauſſa ſederent, vt benignitate ſua ipſi ſubuenirent, & quod rei ingenio deerat, æquitate ſupplerent. inde reo dimiſſo, Sarisberienſis Pares ſeorſim in conclaue ſecedere iubet, habitoque concilio ex animi ſententia pronunciare, an Norfolcius perduellionis crimine teneatur. mos eſt apud Anglos cum de capite ciuis deliberatur, vt iudices in ſecretum locum ſecedant, vbi ſine cibo, potu, igne, candela maneant, interdicto etiam omni colloquij, niſi cum teſtibus contra reum productis, vſu, donec de ſententia contra reum pronuncianda inter eos conuenerit, quam poſtea ad præſidem referunt. illi igitur habita deliberatione cum ad Sarisberienſem redijſſent, & Norfolcium perduellionis teneri retuliſſent, rurſus ſiſtitur Norfolcius, & intellecta Parium ſententia a Sarisbérienſi interpellatur, ecquid habeat, quo ſententiam impugnare & cri-

CIↃ IↃ LXXII

10034068

ſtantibus, vt ſententia contra eum lata executioni demandaretur, alioqui ipſius ſalutem, ex qua regni ſalus & publica ſecuritas pendeat, in diſcrimine verſari; non obſcuras eſſe illius & conſciorum coitiones ac machinationes, quæ licet eorum captiuitate quodammodo ſopitæ videantur, non mediocre tamen periculum ſubeſſe, ne ignis ſub cineribus latens, ſi negligatur, in ſubitum iuxta ac pernicioſum incendium euadat; nam & rerum nouarum ſpem coniuratis extra regnum hoſtibus nunqum defuturam, quandiu ille in vita ſuperabit, & vi aut aſtu carcere educi, ac duces ſeditioni proponi poterunt; itaque orare, vt & ſe reſpiceret, & ſaluti propriæ conſulendo regni incolumitati quoque conſuleret, quæ non aliter conſtare poſſet, quam ſi in perduellionis peractos reos legibus animaduerteretur. ſecundum hæc cum aſſentiretur regina, vt ſententia executioni demandaretur, IIII Non. ſequentis menſis Norfolcius ad ſupplicium hora ſeptima matutina productus eſt, & ad furcas Tiburnas deductus, cum in pegma ad id deſtinatum conſcendiſſet, longa oratione populum allocutus eſt, aliquoties a Londinenſi vicecomite interpellatus, quaſi ſe purgaret, & Pares ſuos accuſaret. tum excuſatione præmiſſa, cum iuſtos Pares ſuos pronunciaſſet, orationem proſecutus eſt, & culpam quidem de conuentis, inſcia regina nuptijs, & acceptis a Pontifice binis literis conſilijsque & arcta familiaritate cum plerisque Pontificis partibus addictis inita palam agnouit; cetera crimina, quod regnum sereniſſimæ reginæ eripere, eique periculum creare, Londini ſtatum turbare conatus ſit, CIↃ IↃ LXXII

ffff iiij

10034066

[redacted]

10034068

10034068

dem Leuinij percuſſoribus multis fruſtra ſubornatis Paſleti turrim cuſtodibus electis occupaſſent, & id impune fore in tanta licentia ſibi perſuaſiſſent, Prorex confeſtim eo ducit, amandato Non. Febr. in Angliam Mortonio, Petcarnio, & Iacobo Macgillio, qui cum legatis externorum principum de Scotæ cauſſa diſceptarent. ij cum ad x Kalend. Mart. Londinum veniſſent, in concilio delectorum ab Eliſabetha auditi ſunt. poſt variam diſputationem duo capita ab Anglis propoſita ſunt, vt rerum a Scotis contra reginam ſuam geſtarum cauſſæ antea a Morauio allatæ, tam euidentibus argumentis confirmarentur, vt eas fuiſſe veras ac iuſtas ipſa Eliſabetha perſuaſum habeat, & alijs rationem repoſcentibus honeſte reſpondere poſſet. quod ſi minus poſſent, rationes inirentur, quibus hæc diſcordia honeſtis condicionibus componeretur. ad hæc legati commentarium ſcriptum exhibent, quo in præſens omiſſis argumentis & probationibus antea a Morauio allatis, quibus de rei veritate plenam fidem factam aiebant, iure ſe feciſſe oſtendebant, vt in reginam parricidij conuictam & regia poteſtate ad omne ſcelus abutentem tanta lenitate animaduerterint. nam & olim reges in Scotia morte, vinculis, exilio punitos ex annalium monumentis conſtare, vt nec vetus maiorum conſuetudo, quod de regina obijcitur, nouum videri ſinat, nec moderatio pœnæ inuidioſum. Scotos liberam ab initio gentem, reges eo iure ſibi creauiſſe, vt imperium populi ſuffragijs eis mandatum, ſi res poſceret, eiſdem ſuffragijs adimi poſſet. eius rei veſtigia & in regum inaugurandorum ceremonijs & CIↃ IↃ LXXII

10034066

[redacted]

ptiua ſuam cauſſam inter ſubiectos ita tractari grauiſſime ferre per literas ſignificaret; tandemque re infecta legati dimiſſi ſunt. dum hæc agerentur, Paſſetana turris ab Hamiltonijs occupata ad primum Proregis aduentum aqua auerſa deditionem fecit, & Gilbertus Kennedus, qui reginæ parteis huc vſque ſecutus fuerat, dato obſide vnico fratre Sterlinum ſe venturum pollicitus eſt. cuius exemplum ſecuti Hugo Mongomerius Eglentonij comes, & Rob. Bodius ad Proregem venerunt. ſecundum hæc Prorex ex equi lapſu grauiter afflictus cum Glaſcuam rediiſſet, ſpes ei a gregario milite vxoris iniuria a Flaminio loci præfecto virgis cæſæ accenſo recuperandi Britannoduni facta eſt: de cuius arcis ſitu & natura ante omnia dicendum eſt. a confluente Glottæ & Leuini fluminum planities CIↃ paſſuum ſpatio ad vicinorum montium radices porrigitur; in ipſo autem angulo, vbi amnes confluunt, rupes biceps conſurgit, quæ tres perennis aquæ fontes habet; alterum eius cornu, quod altius attollitur, occidentem ſpectat, in ſummoque vertice ſpeculam habet longiſſimo in omnes partes proſpectu; paullo humilius ad ortum vergit: inter quæ duo cornua, quod in VII trionem & agros verſum eſt, latus gradibus per obliquam rupem hominum induſtria ac ſummo labore in ſaxo præduro, & quod vi confractum ſulfureum odorem exſpirat, exciſis aditur, anguſta admodum ſemita, vt vix ſinguli per eam eniti poſſint. in ſuperiore arcis parte ſaxum ingens ita ceteræ rupi coagmentatum, vt commiſſura non appareat. meridionale latus, quod Glotta alluit, in ſummo præceps, paul-

10034068

rum expediunt; & cum dux ille itineris, de quo dixi, ſe primum aſcenſurum polliceretur, pedites paullo ante lucem ad arcem accedunt, equitatu in omnem fortunæ euentum, eo quo conſtiterat, loco reſtitante. accedentibus duo impedimenta obiecta ſunt, pons torrentis, qui campum interſecat, abruptus, & ignis in proximo apparens, quod ad detectæ expeditionis interpretationem initio reuocarunt. ſed ponte ſumma celeritate refecto, vt pediti peruius eſſet, & igne illo non a præſidio, vt putabatur, ad indicandum ipſorum aduentum accenſo, ſed ex eorum numero, qui fatui vulgo vocantur, ac ſubito euaneſcente, alius timor iniectus, ne luce propinqua & cælo ſereno ſtellarum lumine fulgente a vigilibus deprehenderentur; quem & caligo ſuborta diſcuſſit, quæ ſuperiorem arcis partem denſa nube ita inuoluit, vt proſpectus eorum, quæ infra gererentur, præſidiarijs adimeret. igitur ſcalis allatis, & quod primo a properantibus in ſaxo lubrico collocatæ corruiſſent, mox circumſpectius admotis, eo, quo iuſſi erant, ordine enituntur; & cum inopinato accidiſſet, vt ex militibus vnus ictu ſanguinis ſubito correptus quaſi ſtupore defixus in medio niſu ſcalis adhæſiſſet, ita vt ſubſequentibus aditum præcluderet, ne quidem id mali ominis loco acceperunt, ſed eo ad ſcalas alligato, ita vt remittente morbo non caderet, & ſcalis ſummo ſilentio inuerſis, reliqui facile aſcenderunt. cum ad ſummum venere murus tertijs ſcalis ſuperandus erat: quo ſuperato Alexander Ramiſæus cum duobus manipularibus primus ingreſſus eſt, alijsque incumbentibus murus vetuſtate corruptus & pro- CIↃ IↃ LXXII

10034068

ſic exiſtimarent, Anglam nulla ratione Scotam velle dimittere, ne turbarum in Anglia ipſa excitandarum cauſſam præberet, ſed ita animum vultum ac verba componere, vt communem regum cauſſam negligere non videretur, toti in comitia ad Kalend. Maias Edimburgum indicta intenti erant, quorum liberam celebrationem remorabatur recens arcis defectio: Prorex tamen, qui nihil haberet ad oppidum oppugnandum parati, nec aduerſariorum metu comitia alio transferri vellet, poſt aliquot velitationes, quibus oppidani ac præſidiarij a Mortonio intra mœnia compulſi fuerant, ad portam vrbis comitia habere ſtatuit. in ijs cum denuo cædis regis ac Proregis conſcij tanquam perduelles damnati eſſent, qui in arce erant crimini affines, quo auctoritatem cauſſæ ſuæ conciliarent, ex ea hominum copia, quæ ſuppetebat, & ipſi comitia cogunt, corrogatis etiam eorum proſcriptorum ſuffragijs, qui comitijs intereſſe aut non poterant aut noluerant. interea ab arce in procerum conuentum, qui extra vrbem habebatur, aſſiduæ tormentorum eiaculationes fiebant, pilis ferreis plerumque inter mediam turbam cadentibus, ita tamen, vt nemo occiſus vel vulneratus ſit. tandem ſoluto conuentu cum vtrique comitia, alteri Edimburgum, alteri Sterlinum indixiſſent, quaſi in inducias conſenſum eſſet, vtrimque diſceſſum eſt: mox tamen cum Edimburgenſes in armis exijſſent, vt Mortonium Dalketi opprimerent, cum Mortonianis, quos in itinere nacti ſunt, conflixere æquo vtrimque damno. mox ad Letham, cum acies in armis ſtarent, & Drurius Anglus medius inter eas curſitaret,

CIↃ IↃ LXXII

10034068

præerat, homo manu & conſilio promptus, cum in hoſtem duxiſſet, eum cum damno in oppidum compulit. dum redit, Iacobus Haliburtonus, qui peditatui præerat, longiuſcule a ſuis incedens, ab incumbente equitum turma, cum dubia luce cuius partis eſſet, dignoſci non poſſet, captus & in vrbem ductus eſt. mox & Alexander Humius ſuorum interuentu libertati reſtitutus eſt. inde ad audacius conſilium animum adiecere Hamiltonij, ſpe certa, ſi euentus reſponderet, vniuerſi belli ſemel patrandi, ad id a Georgio Bello cohortis peditum ſignifero ac Sterlini nato perſuaſi, qui proceres Sterlini coactos ac ſolute agenteis opprimi nullo negotio poſſe affirmabat, & cum omneis aditus & opportuna oppidi loca noſſet, ac procerum hoſpitia haberet deſcripta, certam ſpem faciebat, ſi ſequerentur, omnia eorum in poteſtate futura. duces expeditionis fuere Georgius Gordonius, Claudius Hamiltonius, & Valterus Scotus. nec conſilio ſucceſſus defuit. igitur cum diluculo ad oppidum acceſſiſſent, omnia adeo neglecta reperiunt, vt nemine obuio in forum penetrauerint, & obſeſſis aditibus procerum hoſpitia aggreſſi ſine certamine vniuerſos pæne oppreſſerint. ſolum Iacobi Duglaſſij Mortonij diuerſorium, in quo diutius famuli reſtitere, moram præbuit, ſed flamma in ædeis iniecta cum iam in eo eſſet, vt fumo ſtrangularentur, ipſe Valtero Scoto affini ſuo ſe dedit. captus & eodem momento Prorex, & mox Alexander Glencarniæ, & Hugo Eglentoniæ comites, qui omnes ad exitium ſeruabantur. ita quippe Claudius Hamiltonius ſuis mandaſſe ferebatur, ſimulac vrbis portas forent

CIↃ IↃ LXXII

10034068

10034068

10034068

qua ciuitatum ſocietate comprehenſarum adepti fuerint. quatuor autem illa emporia ſunt, Londinum, quod ſocietati ab Henrico III Anglorum rege anno Chriſti CIↃ CC L attributum eſt, cuius ſummam fidem ac firma auxilia experti poſteri reges & Eduardus III inprimis bello aduerſus nos feliciter geſto, negotiatores Teutonici collegij nullis nouis vectigalibus, tributis, exactionibus ſubſidijs aliisve præſtationibus deinceps onerandos ſanxit, peculiari diplomate, quod Ricardus II, Henrici IIII, V, VI religioſe ſeruarunt; donec ardente inter Anglos & Danos bello cum in Helleſponto Danico Anglorum naues interceptæ fuiſſent, ab Anglis pariter naues LX Teutonicæ ſocietatis captæ ac ſpoliatæ ſunt; quod initium bello triennali Anglis cum ciuitatibus cauſſam præbuit, quod tandem Caroli Burgundi, qui Eduardi ſororem vxorem duxerat, interuentu Traiecti ad Moſam compoſitum eſt anno CIↃ CCCC LXXIIII. ab eo tempore per annos circiter XXC ſub Ricardo III, Henrico VII, VIII, & Eduardo VI Germani immunitates in Anglia ſuas retinuerunt, licet eas Gedanenſes aliquantum turbauerint. alterum emporium Brugis habuerunt vrbe Flandriæ ampliſſima, & elegantiſſimis ædificijs ornata, quæ a ſocijs frequentari cepit circa annum CIↃ CC LXII. demum anno CCXXVI poſt multum de priſtina opulentia amiſit, poſtquam Maximilianum Romanorum regem præcipuis miniſtris in conſpectu illius occiſis captum ignominioſo carcere incluſerunt. nam Fridericus Cæſar parens eius mox toto imperio ad arma concitato in Belgium deſcendit, & portu Brugenſium CIↃ IↃ LXXII

10034066

CIↃ IↃ LXXII

non vicinis incommodandi occaſionem arripere ludus erat, Lubecenſium naueis Narua redeunteis hoſtiliter captas Reualiam & Stocholmiam duci, ac merceis omneis in fiſcum redigi iuſſit; quod VIII tennali, de quo diximus, bello cauſſam præbuit, Stetinenſi pace compoſito. ſed cum Ioannes pactis non ſtaret, eam ob cauſſam præcipue ciuitatum conuentus hoc anno inſtitutus eſt. Quartum ſocietatis emporium Bergæ in Noruegia fuit, vbi & magis expreſſa antiqui fœderis veſtigia, quam alibi remanſerunt; ſed tractu temporis Danica nobilitate quæſtu allecta & ſub Friderico II rege inſtitoriam faciente, ſocietati multum in ea prouincia deceſſit; cumque ea de re apud Fridericum II per legatos ciuitates expoſtulaſſent, ille ante XX annos, etſi ſalua iura, priuilegia, immunitates eis ſe regia fide ſeruaturum reſpondiſſet, tamen neque nobilitati Danicæ nauigationes inhibuit, & opificum collegia, quæ ſocij Belgæ ſuis domicilijs adiuncta communi ſecum libertate frui patiebantur, omnino aboleuit. his & alijs de cauſis celeberrimus conuentus hoc anno Lubecæ habitus eſt, in quo antiqua iura renouata, & pleraque decreta facta, quorum alia ad diſciplinam inter ſocios ſeruandam pertinentia tenuerunt, alia, quæ externos principes ſpectant, per legatos explicata maiorem partem irrita fuerunt. Superiore anno rex poſt iucundum Lutetiæ celebratum ingreſſum Blœſas cum regina parente, Andino, ac Alençonio fratribus venerat, vt pace nuper parta res adhuc incertas firmaret, & Nauarram, P.P., Colinium, ac ceteros Proteſtantium proceres ad veniendum in aulam e propin-

10034068

m ea res cautioribus ſuſpicionem inieciſſet, nec CIↃ IↃ LXXII
cile proceres, vt recentibus adhuc odijs ad hoc
:riculoſum certamen deſcenderent, induci poſ-
apparerct, arx illa noctu, antequam ſuſpicio iam
ıta in animis altiores radices ageret, regis iuſſu
ıateria inde comportata omnino ſublata eſt. id
ıam Lignerolij cædi, de qua ſupra diximus, cauſ-
m dediſſe quidam ſcripſere, qui de eo conſilio
ↄ Andino ſibi communicato aliquid reſciuerat;
am quodam die in conclaue regis admiſſus, cum
ıſum ſolito ſtomachoſiorem reperiſſet, ob ini-
uas Proteſtantium & cum minis coniunctas ex-
oſtulationes, ille ſiue per vanitatem, ſiue impru-
entiam regi in aurem inſuſurraſſe dicitur, dura-
:t, neque vinci patientiam ſuam pateretur: nam
reui fore, vt ipſi per turrem illam de importunis
c iniquis hominibus ſatisfieret. quo dicto rex
erculſus vocem compreſſit, iracundo in ſpeciem
ultu, quaſi rei ignarus, & mox Lignerolium ſub-
ırnatis ijs, quos memoraui, interfici iuſſit, ne ſe-
retum, quod paucis communicatum volebat, fra-
ris garrulitate detectum in plures, atque adeo ad
llos, qui petebantur, emanaret. qui Lignerolij
:ædem ad aliam cauſſam referunt, hoc etiam ad-
lunt, regem id conſilij, quod poſtea matre & An-
lino fratre ſuadentibus ſecutus eſt, ex neceſſitate
ıotius, quam habita diu ante deliberatione ce-
ıiſſe, quippe rei tunc ignarum, quam ſoli illi cum
js, quos dixi, initio agitauerint. ſub id tempus
Carlota Borbonia, Ludouici Borbonij Monpen-
ſerij filia, in Germaniam profugit, & ad Frideri-
cum Palatinum VIIvirum ſe contulit. ea a matre
Iacoba Lonuiana haut dubie Proteſtantibus fa-

10034068

10034068

10034068

10034066

ad fœdus attinet, nihil impetratum fuiſſe,haut ſane mirante ipſo Alexandrino,cum reſponſum datum eſſet, non eo ſtatu res Gallorum eſſe, vt qui rerum ſuarum vix potentes ſunt, ſe alienis negotijs immiſceant. neque vero rem Chriſtianam pecunia iuuare,exhauſto bellis ciuilibus ærario,longe minus copias extra regnum emittere poſſe. nam neque Proteſtanteis ituros metu, ne reditu in patriam excludantur; bonis vero ac pijs emiſſis, regem præſidio ſuorum nudatum, ſectariorum conatibus exponi.actionem vero de Margaritæ ſororis nuptijs cum Luſitano vehementiorem fuiſſe, quæ tamen exitum non habuerit, cum rex diceret, ex matrimonio cum Nauarro quietem publicam pendere,cuius ſtabilem ſententiam Alexandrinus multis in contrariam partem diſputatis mutare non potuerit: regem tamen,cum vrgeretur, tandem reſpondiſſe, vtinam omnia tibi enuntiare poſſem, Alexandrine; profecto tu & Pontifex intelligeretis, nihil ad religionis res in regno conſtituendas, & iuratos Dei ac Galliæ hoſteis perdendos his nuptijs aptius eſſe. ceterum breui fore ſpero, vt Pontifex conſilium & pietatem meam, incenſumque religionis ardorem ex euentu laudet. addit is, qui Pij V̄ vitam ſcripſit, Hieronymus Catena, regem manu Alexandrini arctius compreſſa ſibi annulum magni pretij de digito detractum ei obtuliſſe, hisque verbis eſſe affatum, Habe hunc tibi arrabonem & pignus fidei datæ & nunquam a S. S. defecturi obſequij conſilijque contra ſectarios impios, vt recepi, propediem exequendi; Alexandrinum vero excuſaſſe ſe ab annulo accipiendo, & Pontifici ac ſibi

CIↃ IↃLXXII

10034068

teſtabatur. is vitæ ſanctimonia clarus, cum ab auaritia, ſordibus, & omni ditandorum ſuorum cogitatione maxime abhorreret, negligentia tamen ſua & difficili ad querellas acceſſu effecit, vt dum rei publicæ parum gnarus minime ad eam attendit, ſuorum, quos more aulæ illi inſito rerum gubernaculis admouerat, rapacitati porta aperta ſit, qui auare & inſolenter ſub eo impune graſſati ſunt diu, & eius rei inuidia Hieronymus Ruſticutius in collegium cardinalium ab ipſo præter meritum ex humili ac ſordido loco allectus inprimis laborauit, ob id a Gregorio XIII ſucceſſore Roma abſtinere, & Fanum, cuius epiſcopus erat, quæſito relegationi honeſtiore titulo concedere iuſſus. biennio ante Pius Nicolaum Pelleuæum Senonenſem archiepiſcopum, in collegium cardinalium cooptauerat, Lotaringi cardinalis commendatione, qui accepto de Pontificis morte nuncio, ſtatim, rebus ante ad profectionem comparatis, in viam ſe cum Pelleuæo dedit, vt noui Pontificis creationi intereſſet. ſed altero die poſtquam collegæ conclaue poſt nouendialeis preces ingreſſi ſunt, ſummo omnium conſenſu Pontifex renunciatur Hugo Bonconpagnus Bononienſis, iuris vtriusque doctrina clarus, a Pio IIII, cum in collegium legeretur, iam tum ſummo magiſtratui deſtinatus, & Gregorius XIII appellari voluit. præter morem comitiorum, quæ lenta ac turbulenta eſſe, magnisque animorum ac partium certaminibus peragi ſolent, feſtinata fuit creatio, ne diuturnum interregnum bello Turcico interueniens procedentia ex voto communia conſilia retardaret. id quanquam in itinere reſci-

CIↃ IↃ LXXII

10034068

10034068

10034068

10034068

10034068

10034068

[redacted]

10034068

10034066

10034068

10034068

10034068

ctorem habeat, ſpe gloriæ ac remuneratio- CIↃIↃ LXXII
ut caſtigationis metu pugnat; ille prædæ &
ndiorum ſpe conductoris caſtra ſequitur;
ſi deficiunt, aut ad ſeditiones vertitur, aut pu-
m detrectat. denique auro vt ducitur, ſic ferro
ericulorum horrore repellitur. adde quod ab
erno milite maiora maleficia in agros perpe-
atur, vt ſunt incendia, prædæ, rapinæ, vaſta-
nes: quæ omnia vel ſenſu aurium ſæua quo-
nus tui faciant, caritate patriæ prohibentur.
c vero vt ſubſiſtas parumper & in mentem re-
ces ea tempora M. T. obteſtor, quibus Gallia
tus pacata & a ciuilibus diſſenſionibus vacua
llum in limite gerebatur. tunc maioribus tuis
m Italis, Germanis, Hiſpanis, Anglis ſæpius, &
m pleriſque ex ijs ſimul res fuit; tunc populus
regni meditullio & per vrbes paſſim prœlio-
am & armorum inſolens ad ſolitam eorum fa-
nam tremebat. & tamen ſola nobilitate ſubnixi
lli, & exiguo illo legionum numero, quæ in præ-
idijs etiam pacis tempore ad limitis cuſtodiam
aluntur, tot hoſtium impetum non ſolum ſuſti-
nuerunt, ſed ijs cum damno extra fines repulſis,
oppidis etiam captis opima de hoſte ſpolia ſæpius
reportarunt. nunc cum calamitate publica effe-
ctum ſit, vt omnes obſidionibus, certaminibus,
prœlijs vbique inſueuerint, quos hoſteis Gallis
debellandis pares exiſtimas? an Hiſpanos? homi-
nes haut infitias eo, ſtrenuos, ſed raros & in pro-
uincijs minime populoſis natos, vt nunquam Ca-
rolus V, cum plurimos habuit, plures VII CIↃ pe-
ditum IↃ CCC equitibus in caſtris habuiſſe dica-
tur. & nobilitas in Hiſpania cum non niſi ex con-

10034068

10034068

10034066

fauorem, quippe recenti memoria & odio Hiſpanorum, quorum ambitione factum credunt, vt Carolus V de imperio in prouinciam redigendo conſilium ceperit. & veroſimile ſit, Maximilianum Cæſarem pari affectu in generos ambos neutris partibus ſe addicturum. quod ſi fortaſſe ob familiæ communis decus & multiplici vinculo geminatam neceſſitudinem in Philippum magis procumbat, quid bello Pannonico diſtrictus patrueli ac ſororio auxilij, rebus tuis incommodi, importare queat; a principibus eccleſiaſticis non multum opis ſperare poſſunt Hiſpani; quippe qui ſæpius mutant, nec valde opulenti ſunt, & caritate patriæ plerumque religionis cauſſa, quam Philippus cupiditatibus ſuis prætexit, non multum mouentur. Heluetiorum VII pagi tibi ex fœdere coniuncti ſunt, Rætorum item III pagi, alij ab Hiſpanis ob religionem omnino alieni. in Italia quidem Pontifex totus in Hiſpanorum partes inclinat; ſed bello Turcico implicatus omneis in orientem opes vertere cogitur, vt ab eo in occidente interea nobis ſecuris eſſe liceat; & illud eſt ingenium aulæ Romanæ, quod omnes rerum periti norunt, vt potius arbitrium inter principes bellum gerenteis ſibi ſumat, & ex vtriusque damno priuatum compendium captet, quam vlli parti addicta in periculorum aleam, aut partem veniat. quid Senatus Venetus hoc vltimo bello etiam poſt victoriam vltimam tantopere decantatam victo quam victori, vel ipſo fatente, magis ſimilis? cui ſcis cottidie cum Hiſpanis de belli gerendi ratione certamen eſſe, & quem a fœdere prima data occaſione diſceſſurum conſtat, non vt ſe

iiii

CIƆ IƆ LXXII

10034068

10034068

CIↃ CIↃ LXXII aut ſupernatante aqua obrutæ pæne defecerunt
ſupereſt, vt ærarium immodicis ſumptibus in ali
no inuadendo factis exhauſtum, aut proſcripti
nibus, quæ ardente bello ciuili periculoſæ ſun
aut aliunde ſuppleatur; an a donatiuo Belgico? a
qui prouinciæ illæ bello gerendo in ſtipendia mi
litum vix ſufficiunt; an ab Antuerpienſium mer
catorum collegio? id illi olim licuit, pacatis in Be
gio rebus & commercio libero, quod nunc, poſt
quam Mattiacæ inſulæ in Arauſienſis verba iura
uerunt, omnino interruptum relanguit; ita vt ple
rique, qui alijs credebant, nunc cum ad exſoluen
da debita certo die appellantur, temporis gratian
a judice implorare cogantur. ſed Genuenſeis in
Italia præterieram, qui quodammodo in *Philip-*
pi ære ſunt. nam cum ſæpe de imponenda Genuæ
arce antea conſultatum eſſet, & Andreas Auria
qua erat in patriam caritate, quauis condicion
repudiata ſemper contradiceret, non aliam ratio
nem comminiſci potuit Carolus V prudentiſſi
mus princeps, qua Genuenſeis in officio conti
neret, quam ſi omnem eorum pecuniam, qua ſo
la fere illorum opes conſtant, Liguria omnium
rerum a natura ſterilitate & inopia damnata, con
raderet. ſic enim fore iudicabat, vt auara gens me
tu ſui amittendi in fide perſeueraret. illi igitur ab
eo tempore fecere, quod aleæ luſoribus familiare
eſt, qui ne perdant, cottidie perdere non ceſſant,
& nouis ac repetitis ſubinde contractibus ac ver
ſura ſæpius a debitore facta ipſi debitori fidem
quam reuocare non poterant, obligarunt. nun
vero cum nec pecunia illa repræſentetur, nec vſ
ræ dependantur, malunt otioſum numum in ar

deſidere, quam fœnori adeo periculoſo collocare. CIↃ IↃ LXXII
his adde Finalium nuper cum graui Genuenſium reipub. detrimento & iniuria ab Hiſpanis occupatum. igitur quod Hiſpano ob eas, quas dixi, cauſſas difficile ac pæne impoſſibile eſſe oſtendimus, tibi contra perfacile erit, cui in nobilitatem atque adeo equitatum, qui fere ſuis ſumptibus militat, exiguo ſumptu opus ſit, & tantum ad alendum peditem pecunia, ſed ea tenuis, modo certa, ſit neceſſaria. his adde quod in hoſtico bellum gerentibus bellum bello ipſo alitur: nec præter regni vectigalia, quæ copioſa nunc in pace ſuppetunt, ordo ſacer, qui in regno tuo maiorum tuorum ac procerum beneficio ampliſſimum patrimonium poſſidet, in tam iuſta ac neceſſaria cauſſa tibi, puto, aut ſibi deerit. ergo cum Philippus nec manu militari, nec pecunia, qui præcipuus belli neruus eſt, plusquam T.M. valeat, quid in mora eſt, quo minus bellum tam iuſtum ac neceſſarium, tam confectu facile, cum manifeſta vtilitate primo quoque tempore ſuſcipiatur? verum vbi incipiendum illud, & qua ratione gerendum ſit, quæritur. ab Hiſpania Pyrenæo excludimur, & montana fere regio ac ſterilis inſidijs ac vulpino aſtu graſſantibus opportuna ſubeſt, nec commode cum Hiſpanis in Hiſpania bellum geritur, vbi nobilitas ſuis ſumptibus pugnare pro finibus tenetur, raro & ægre limitem egreditur. Italiam toties infeliciter tentatam ne nunc petamus multa prohibent, verſi ad quietem animi, recens intuti apud nos patrocinij memoria, nam ſic occulta numinis voluntas fuit, & ingentes belli Turcici apparatus; quæ omnia in nos conuertemus. eosque

10034068

agitata fortaſſe faciendum eſſet; hac exoleta gladiatoria omiſſa, quæ tantum brachia & crura attingit, tibi cor, tibi vitalia petenda ſunt, hoc eſt, metropoles in meditullio ſitæ, puta Brugæ, quas fere debileis, aut ſi ab oppidanis tantum defendantur, facile capies, aut ſi hoſtis auxilio veniat, cum eo prœlio decernes. plures autem earum Hiſpanorum odio & libertatis tuendæ deſiderio vltro deditionem facient, quibus in fidem acceptis priſtinam libertatem reſtituere, priuilegia antiqua & immunitates confirmare, nouas addere, tributa aſſueta minuere debes. quod ſi quæ ſunt, quæ a tanta humanitate inuitatæ reſiſtere tamen auſæ fuerint, ijs vi expugnatis ſeueritate opus erit, non quidem punita plebe, ſed inſigni edito in eos, qui ſe plebi ad pertinaciam duces præbebunt, exemplo. ea ratione citra magnum periculum cito ac feliciter magna cum exiſtimationis fama, qua fere bella conſtant, rem conficies, omiſſis arcibus & exiguis munitionibus, in quibus capiendis plus periculi, captis parum decoris & profectûs ad victorem redundat. re autem confecta non opus erit multis & grauibus prouinciæ præſidijs ad eam tuendam, pulſo procul Hiſpano & mari æque ac terra intercluſo, ſed ipſorum Belgarum ope, quibus libertatem donaueris, Belgium in officio continebis, & importunum tibi & Belgis æque hoſtem, ne ex propinquo in tuum limitem deſpiciat, longe trans-Alpeis & Pyrenæum ablegabis, promoto ad Moſam vſq. limite, vnde non ſolum potentiſſimarum ac opulentiſſimarum vrbium acceſſione regnum locupletabis, ſed Belgis libertatis auctor, Germanis vicinis amicus, Fran- CIↃ IↃLXXII

10034068

ctum, cum ille ab hac ſententia diſſideret, vt ei contrario ſcripto reſponderet, imperauit. quod menſe Iunio fecit, cum rex ad caſtrum Bononienſe tertio ab vrbe lapide veniſſet. ingenium quale Moruillerij, tale ſcriptum eius fuit, hominis probi nec mediocri rerum vſu inſtructi, & quamuis in cardinalis Lotaringi familia educatus eſſet, non ita eius ambitioni ſeruientis, de cetero cauti ac meticuloſi verius quam prudentis, & qui præſentis periculi vel leuiſſimi metu haut facile generoſi cuiuſquam conſilij ad diſcutiendum maius ac certum inpoſterum periculum auctor fuiſſet. in hæc autem verba regem alloquebatur. Nemini mirum videri debet, Chriſtianiſſ. rex, ſi qui de maximi momenti rebus, qui de incerti ac periculoſi exitûs negotijs, quale illud eſt, quod nunc in conſultationem deducitur, ſententiam rogati dicunt, animi anguntur. nam vt res humanæ ac præcipue eæ, quæ ad rem militarem ſpectant, fere a fortuna pendent, ſic ſæpe euenit, vt quæ mature deliberata ſunt, haut feliciter cadant, contra vt temeraria conſilia proſperos ſucceſſus nanciſcantur. quo fit, vt vulgus qui res ſucceſſu potius, quam ratione metitur, ex ſiniſtro euentu prudentiſſimum conſilium damnet, idem temere ſuſceptum propter felicem exitum laudet. id multos in conſultationibus a libere dicenda ſententia deterret, veritos, ne minus ex voto ſuccedentium euentuum culpa eis imputetur. verum ex ea anxietate plerumque idem incommodi, quod ex temerarijs conſilijs, conſequitur, vt & princeps interea ad bellum neceſſaria nequaquam in tempore paret, & nihilominus ſuſpicionum cauſſas vicinis præbeat, qui- CIƆ IƆ LXXII

10034068

ctionem vniuerſas ſpectare, mortemque præ ſer- CIϽ IϽ LXXII
uitute illa optare; ob id regis opem implorare, & in verba eius iurare paratas, dum ipſe de auxilijs fidem interponat: atque quamprimum vireis Galliæ in Belgio comparebunt, ciueis ſtatim animi ſui motum declaraturos, & portarum claueis ad ipſum allaturos; tam pulchræ occaſioni nihil præter voluntatem deeſſe; regem proinde eam minime prætermittere debere. nam ita momento citra periculum nec magnis cum ſumptibus Belgium ſui iuris facere poſſe, cuius prouinciæ pleræque veluti membra a Gallico corpore iniuria auulſæ ſunt, & tanquam iniuſtá vi amiſſæ iuſtis armis repeti poſſunt. addunt Anglorum reginam regis exemplum ſecuturam, Germanos huic bello fauorabileis fore, & quominus Albanus auxiliareis copias apud ſe conſcribat, impedituros. iam Arauſienſem cum potenti exercitu aduentare, qui numero cottidie creſcat, & Albani vireis æquare valeat. Ludouicum Naſſouium eius fratrem Monteſ tenere, munitiſſimum & valde opportunum ad rem gerendam oppidum. ita Francorum ingenium eſſe, vt niſi foris hoſtem habeant, domi quærant, & nobilitate ac hominibus bellicoſis fœtam Galliam haut diu pacem colituram, atque vt in ſucculento corpore ſanguinis abundantiam detractione, ne corpus ſuffocatione corrumpat, corrigendam. eo denique res deueniſſe, vt Philippus diſſimulatione noſtra æque atq. denunciato aperte bello exacerbatus, niſi eum anteuertamus, rebus Belgij compoſitis periculoſo marte nos imparatos adoriatur; & præſtare ignem in domum vicini inferre, quam domi ſedendo ignauia ſua

10034068

